

Frontonis et M. Caesaris epistularum emendationes.

Scripsit

Adam Eussner.

I 3 (p. 5 Naber) *Quid si istas litteras tuas legerit, quibus pedem etiam pro salute mea advocas et precaris?*

Quid sibi velit illud *pedem precari*, quod Caesari Fronto rescritbit, intellegi nequit. Manifestum est librarium de arthritide Frontonis cogitantem et illum locum ep. 2, quo Caesar *ipsum illum pedem* magistri sui fovere voluerat, respicientem haec ita exhibuisse. Verum ad illa pertinent verba *pro salute mea*. In isto *pedem* autem, quod iam Eichstadio et Nabero suspectum erat, latere videtur *opem deum*. Cf. Caesaris haec verba ep. 2: *o qui ubique estis di boni, valeat oro meus Fronto.*

I 3 (p. 6) *Nam neque domum vestram diluculo ventitat, neque cotidie salutat, neque ubique comitatur, nec semper spectat.*

Profecto de antiquo adsestantionis more, qui etiam Antoninorum temporibus vigebat, ita agit Fronto, ut primum universe de illo officio loquatur, tum singillatim de adsestantionis partibus dicat. Huius autem rei — ut illius, qui commentariolum petitionis composuit, verbis (9, 34) utar — tres partes sunt: una salutatorum, altera deductorum, tertia adsestantorum. Videtur igitur illud *nec semper spectat*, quod Heindorfius in *expectat* mutare voluit, ita emendandum esse, ut efficiatur: *nec semper sectatur.*

I 5 (p. 12) *Enimvero omnia istaec inter graecos versus latina ita scite alternata sunt a te et interposita, ut est ille in pyrrica versicolorum discursus, quom amicti coccœ alii, alii luteo et ostro et purpura, alii aliisque coherentes concursant.*

Duplici hic locus labe laborat, quam utramque Schopenus audacius, ut Nabero iure videtur, ita tollebat ut scriberet: *alii*

alio denique colore inter se concursant. Mihi primum rectus verborum ordo, quo turbato voculam *et post ostro* perperam insertam arbitror, restituendus videtur esse verbis *alii aliisque ante purpura transponendis*. Nam ne quis omnis purpurae ostrique plane eundem colorem esse existumet, et Vitruvius et Plinius et Nonius de quodam coloris discriminе non nulla indicant. Deinde *coherentes*, quod nemo erit quin corruptum esse concedat, ex graeco vocabulo ortum puto. Sic igitur locum exhibeo: *quom amicti coco alii alii luteo et ostro alii aliisque purpura χορεύοντες concursant.*

I 6 (p. 13) . . . ‘magisve nego inpudens, qui umquam quicquam meorum scriptorum tanto ingeno, tanto iudicio legendum committo’. Legas semidivinum locum ex oratione tua, quem me elegere voluerat.

Priorem harum sententiarum qua non Frontonis, sed ipsius Caesaris verba contineri contendo, lenissima mutatione instituta repetam, qualem refingendam esse censeo: *magis ne ego inpudens, qui umquam quicquam — — committo?* Ad firmandam alterius sententiae emendationem illud moneo, M. Caesarem Imperatori patri non singulos, quos ipse elegerat, Frontonianaе orationis locos, sed omnes illius orationis particulas, quas auctor Fronto excerpserat, recitasse, id quod (ep. 7 p. 18) disertis verbis ipse magister elocutus est. Vnde apparat, quam non conveniat sensui verborum *elegere*, quod in *relegere* mutandum videtur.

I 6 (p. 14) *sententia intra causarum demum terminos valent; tuis autem decretis, imp., exempla publice valitura in perpetuum sanciuntur.*

Videlicet iudicium sententias et imperatoris decreta inter se opponit Fronto. Lacunam sex litterarum, quam indicavit Naber, ita expleverim: *sententia e illa e.*

I 6 (p. 16) *Olim testamenta ex deorum munitissimis aedibus proferebantur aut tabulariis aut [ar]cis aut archiis aut opisthodomis: at iam testamenta pro[pe] ru navigarint inter onera mercium et sarcinas remigum.*

Tres huius loci maculas ipsi ostendunt unci a Nabero positi et puncta, nisi quod ne *archiis* quidem in libro palimpsesto extat, in quo est *arcieis*. Illud *arcis* autem, cuius duae litterae priores in codice latent, quo factum est, ut Maius atque adeo Niebuhrius *lucis* scribere auderent, minus concinere appetet cum tabulariis, archiis, opisthodomis; itaque *oecis* ego coniecerim. Lacuna vero quomodo explenda esse videatur, collato Ciceronis locis (Tusc. V 14, 40) elucet, ubi de rebus, quae ambiguis fortunae vicibus com-

mittuntur, Laconis cuiusdam dictum perfertur, qui glorianti cuidam mercatori, quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset: Non sane optabilis ista quidem, inquit, rudentibus apta fortuna. Suspicari igitur licet, Frontonem quoque simili usum comparatione — quam propter *prout* quam *prope* supplere praestat — scripsisse: *at iam testamenta prout rudente apta navigarint inter onera mercium et sarcinas remigum*. Nam quod sic novem inseruntur litterae, cum tamen Naberus octo fere litteres excidisse testetur, nihil sane moror.

I 7 (p. 20) *Vt si simiam aut volpem Appelles pinxit et bestiae pretium adderet.*

In ea codicis parte, quam punctis indicavi, inest: A. IviCUIA~, quod Naberus emendari posse diffidit, quod tamen in *leviculae* (i. e. nullius pretii) mutandum esse vocabulo *pretium* opposito significari videtur. Nam de *avicula* vel *apicula* minus recte cogitavit Ellisius.

II 2 (p. 27) *sed istae litterae ad me tuae neque disertae neque doctae, tanta benignitate scatentes, tanta affectione abundantes, tanto amore lucentes, non satis proloqui possum ut animum meum gaudio in altum sustulerint.*

Cum hic Caesarem eas virtutes, quae inerant in Frontonis consulis epistula, eis rebus, quibus eiusdem litterae carebant, opposuisse manifestum sit, una vocula inserta scripserim: *neque doctae, at tanta benignitate scatentes* e. q. s. Simili modo eadem particula at exciderat I 6 (p. 15 fin.).

II 5 (p. 29) *Videtur mihi agricola strenuus, summa sollertia praeditus, latum fundum in sola segete frumenti et vitibus occupasse, ubi sane et fructus pulcherrimus et redditus uberrimus. Sed enim nusquam in eo rure ficus pompeiana e. q. s.*

Scripsit haec Verus Frontoni magistro de Polemone declamante, quem cum rustico comparat, qui agrum frugum et vitium fertilem eundemque pretiosis arboribus infecundum occupaverit. Hic vero sensus non inest in Veri verbis nisi post *fundum* excidisse statuerimus *fecundum*, quod vocabulum, nisi fallor, eodem modo cum praepositione *in* iungi potuit, quo *copiosus* cum illa non nunquam coniunctum legimus.

II 6 (p. 31) *Igitur paene me opicum animantem ad graecam scripturam perpulerunt homines.*

Apte ad sensum loci Cramerus scripsit: *opicum animarunt et ad graecam scripturam* e. q. s. Idem nos assequemur, si litterarum quoque vestigia accuratius prementes exhibebimus: *me*

opicum animantes ad graecam scripturam perpulerunt homines.

II 10 (p. 34) *Feci tamen per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis: sed cum leges sexaginta: inibi sunt et Novianae et Atellaniolae, et Scipionis oratiunculae: ne tu numerum nimis expavescas.*

Hoc apparerit ita dici, ut intellegatur omnia, quae M. Caesar excerptis, quamvis ex tot libris sumpta, tamen utpote ex antiquissimis petita scriptis ab homine antiquario sine taedio perlegi posse. Ne multa, post *cum* librarium substantivum omisisse puto; quod etsi certo investigari nequit, veri haud dissimile videtur esse Frontonem scripsisse: *sed cum voluptate leges sexaginta.*

III 3 (p. 42) *Id ipsum est quod addubito et consilium posco.*

Incertus haesito, utrum proponam: *quo de dubito et consilium posco,* id quod expeditam faceret orationem, an scripturam in codice traditam servandam existimem, scilicet initium octavae huius libri epistulae respiciens, ubi haec sunt: *Imaginem, quam te quaerere ais, meque tibi socium ad quaerendum et obtionem sumis.*

III 6 (p. 44) Per multis lacunis haec epistula foedata est; nam quae olim exhibuerat codex, hic illuc nunc dignosci nequeunt. Est autem eo difficilius continuum verborum ordinem singulis vocabulis supplendis restituere, quod Naberus satis habuit adnotasse aut singulas aut paucas litteras voculasve desiderari; quot litterarum spatia discerni possint, non indicavit. Quas igitur epistulae partes a me suppletas hic transcribam, eae si non certo sed paulo probabilius, quam hucusque factum est, videbuntur restitutae, non gravabor. Scripserim igitur:

Ita faciam, Domine, quod ad haec nomina; quod ad vitam ut te velle intellexero, missum faciam; teque oro et queso ne umquam quod a me fieri volueris occulueris; sed ut nunc consulte suades, ita perge ne umquam adversus voluntatem tuam quicquam incipiam.

Quod igitur scripsi: *missum faciam*, moneo idem, quod Fronto hoc loco se et facturum et omissurum pollicetur, Caesaris precibus exactum esse, qui (ep. 5 p. 43) Frontoni magistro haec suaserat: *omnia quae ad causam, quam tueris, adtinent, plane proferunda; quae ad tuas proprias affectiones adtinent, licet iusta et provocata sint, tamen reticenda.* Deinde *occulueris* propterea elegi, quod post *volueris* insererem, quod in simili verborum sono haud raro ludit Fronto. Tum *consulte suades* proposui, similem locum

respectans qui est in ep. 3 (p. 41): *Periculum est plane ne tu quicquam pueriliter aut inconsulte suadeas!* Denique verbo *perge*, quo lacunam explevi, haud diverso modo utitur Caesar Frontonis imitator IV 2 (p. 60 fin.). Quae autem eas, quas supra exscripsi, enuntiationes proxime sequuntur, ea equidem emendare non audeo; quae vero paulo inferius extant, hoc modo supplere ausim:

Quodsi agemus perpetuis orationibus, licet extra causam nihil progrediar, tamen et oculis acrioribus et voce vehementi et verbis gravibus utendum, hinc autem nutu, hinc digito irato, quod modeste hominem tuum ferre decet. Sed difficilest ut istud ab eo impetrari possit: dicitur enim cupidine agendi flagrare. Nec reprehendo tamen ne hoc quidem; sed vide ne tibi ipsa illa, quae in causa sunt, infestius proferre videatur.

III 8 (p. 46) *Quam ob rem ipse aliam εἰχόντα nullam adiciam, sed rationem qua tute quaeras ostendam. Et amem te; tu quas εἰχόντας in candem rem demonstrata ratione quaeviseris et inveneris, mittito mihi, ut si, fuerint scitae atque concinnae, gaudeam.*

Nisi fallor, verba et *anem te*, quae altera manus addidit, post *gaudeam* transponenda sunt, ut sententiam claudant. Quae proxime insequuntur: *Iam primum quidem illud scis, εἰχόντα εἰρι αὐτοῦ, ut aut ornet quid e. q. s. — ita emendari censeo, ut pronomen *ei*, quod cum pronomine indefinito *quid* parum concinit, deleatur.*

III 8 (p. 46) *Insignia autem cuiusque rei multis modis eliges, τὰ δύογενη, τὰ δύοειδη, τὰ δύλα, τὰ μέση, τὰ ἴδια, τὰ διάφορα κτλ.*

Contraria inter se contenduntur; at τὰ ἴδια et τὰ διάφορα adeo non inter se opponi possunt, ut tantum non idem significant. Ne multa, τὰ ἵου Frontonem scripsisse par est, quod mirer si nemo adhuc viderit.

III 11 (p. 49) De iis quoque lacunis, quibus et haec et sequens epistula laborat, Naberus iusto neglegentius nihil indicavit nisi haud multa verba periisse. Itaque ne hic quidem certum quicquam potest enucleari; sed licebit tamen proferre, qualem unam saltem sententiam fuisse arbitrer. Ut politius Caesar scribat γράψας, quae ponи in libro Sallustii possint, Fronto haec suadet: *Plurimum tibi in oratione facienda proderit unum dictum certe quidem cottidie excerptere ex Iugurtha aut ex Catilina.*

III 12 (p. 49) Non minus incerta sunt, quae ad duo huius epistulae enuntiata supplenda afferre possum: *Itaque haberem et tibi gratias agerem si verum dicere simul et audire verum me doces. Dixerat enim Caesar paucis versibus antea: Non hoc est*

quo (sic scribendum puto pro quod) me felicem nuncupo. Quid est igitur? quod verum dicere ex te disco.

Clausulam vero eiusdem epistulae ita expleverim: *Vale mi bone et optime magister. Te, optime orator, sic me invenisse gaudeo. Iisdem verbis bone et optime magister Caesar Frontonem valere iubet II 17 (p. 39).*

III 13 (p. 50) *Nec est, Domine, quod mihi tristior sis, cur omnino veritus sim ne tibi litterae meae crebriores oneri essent (quis enim dubitat, quin ita corruptum illud oneris mutandum sit?).*

Nisi quis particulam *cur in cum* mutare mavult, euidem transpositis inter se coniunctionibus emendaverim: *Nec est, Domine, cur mihi tristior sis, quod omnino veritus sim e. q. s.*

IV 1 (p. 58) *Quae fabula recte interpraetantibus illud profecto significat fuisse egregio ingenio eximiaque eloquentia virum, — eumque amicos ac sectatores suos ita instituisse, ut — pudore impudentiam, obsequio contumeliam, benignitate malivolentiam commutarent.*

Scribendum est: *obsequio contumaciam.*

IV 2 (p. 60) *quid illud, quod dissimulare nullo modo possum, apud alium dissimulaturus?*

Haec quid sibi velint, non assequor; suspicor autem librarium verba quaedam omisisse atque hunc in modum Caesarem Frontoni scripsisse conicio: *quid illud, quod dissimulare nullo modum possum apud alium, tibi sim dissimulaturus?* Naberus proposuerat: *apud te sum dissimulaturus?*

IV 13 (p. 75) *iudicem se quam oratorem volt laudari.*

Praestat: *mavolt.*

IV 13 (p. 76) *Scribam autem alterutram partem: nam. eadem de re diversa tueri, nunquam prosus ita dormiet Aristo, ut permittat.*

Narrat M. Caesar Frontoni magistro se Aristonis scripta tanto studio amplexum esse, ut quod sibi ab illo scribendum esset datum, plane omitteret; tum vero se, quoad per iucundos Aristonis libros liceat, scribendo operam daturum, neque tamen ita ut tantum temporis huic rei impendat, quanto opus sit ei, qui in utramque partem disputare velit, sed ut satis habeat *in alterutram partem* scribere. Atque hanc praepositionem *in* ipse Caesar scripsisse putandus est.

V 23. 38 (p. 82) *Praeterea in hac materia diutius laborandum est, ut factum credatur, quam ut irascatur. Ἀπίθανος ὑπόθεσις videtur mihi, quod plane baluceis, qualem petieram.*

Sensu caret illud *irascatur*; quod vero Schopeno placuit *augeatur*, ne ipsum quidum quadrare videtur. Facilius enim esse M. Caesar contendit tam ἀνθρανον ὑπόθεσον, scilicet consulem populi romani leonem quinquatribus percussisse populo spectante, cogitatione effungi quam arte credibilem reddi. Hanc vero sententiam efficiemus, si emendabimus: *diutius laborandum est, ut factum crederatur, quam ut nascatur.* De hoc huius verbi usu satis erit contulisse II 17 fin. (p. 39). — Monstruosum autem *baluceis* ne Schopeno quidem successit ut emendaret: equidem cum Nabero graeca vocabula hic latere puto. Quodsi reputaveris M. Caesarem huiusc rei et similium exilitate parum contentum uberiorum a Frontone scribendi materiam petiisse (ep. 28. 43 p. 84), concedes fortasse a vero non ita alienum esse: *quod plene διψιλῆς οὐκ εστι.*

V 42. 57 (p. 88) *Plurimos natales dies liberum tuorum prosperis tuis (tuisque?) rebus ut celebres, parentibus probatus, populo acceptus, amicis probatus, fortuna et genere et loco tuo dignus, omni vita mea redemisse cupiam.*

Suo iure iam Maius non dubitavit, quin bis positum vocabulum *probatus* non Frontonis incuriae imputandum esset, sed neglegentiae librarii. Ac mihi quidem cum apud Sallustium, qui Frontoni exempli instar fuit, vocabula *acceptus* et *carus* ter coniuncta legantur (J. 12, 3. 108, 1 et ex certa Coleri emendatione 70, 2), veri haud dissimile videtur, nostrum scriptissime: *parentibus probatus, populo acceptus, amicis carus.*
